# QVÆSTIO MEDICA

## QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VIGESIMA TERTIA MENSIS IANVARII.

## M. ANSELMO BICQVET Doctore & Medico Regio, Moderatore.

761

*An paruæ mulieres magnis fœcundiores?*



RTVM interitus irrequietâ viciſſitudine excipit, vitam mors, ſanitatem morbus, ſtat nihil ſub cœlo poſitum, ſed æternâ lege mutantur omnia. Cœlum δυσαλλοίωτον ſemper fugit, & velociſſimo curſu agitur: ſyderum nullum perſtat, labuntur aſſiduè, oriuntur, occidunt. Corpora ἀστεροειδέα mutationibus quoque obnoxia ſunt, quòd materiâ ὁμογενεῖ cum caducis conſtent: ea ſublunarium viciſſitudines motu regunt & lumine: influxus alios ſolis ὑδρανολέχαις proficuos reſpuimus: ἀνταγωνιστῶν tamen ſyderum tumultus pro lege & naturæ neceſſitate ordinatus perpetuus eſt. Diſcors elementorum concordia vbere velut πανσπερμίᾳ inferiorem orbem fœcundâ mixtorum parturigine nobilitat: adeò natura tanquam παναγαία Diana de ſui opificij conſeruatione & æternitate ſollicita fuit, vt quam poneret corruptionis, eandem generationis cauſam aſtrueret ἐναντίωσιν, quâ voluuntur omnia & intereunt, etiam εὔκρατα καὶ ἁπλῶς εὐεκτικά, eadem oriuntur, perennant etiam nobiliſſima. Varijs verò technis ea ἐρωτοτόκος in tali tantóque vtitur molimine: πάντα γὰρ ἐρωτικῶς διατιθέμενα innatâ generandi flagrant libidine. Cœleſtia corpora cometas horrentes crine ſanguineo generant: candidus cometes argenteo crine, aliaque in cœlo ſydera repentè naſcuntur. Vbique prægnans natura vbique parturit: medios inter ignes pyrauſtæ: è putri aëre numeroſam animalculorum multitudinem: è puteis & pigrioribus aquis erumpunt tipulæ: è niue hirti vermes: é terræ gremio ferax lumbricorum prouentus. Metalla imis concredita terræ viſceribus è vapore, cui admixta ſit exhalatio, frigoris ope concreſcunt: vana proinde ciniflonum pollicitatio ignis adminiculo χρυσοποιΐαν idiωtarum auribus inſuſurrantium. Plantæ, radicibus, ſtolonibus, ſemine, folijs propagantur: multas αὐτοφυεῖς terra è ſinu ſuo depromit, filicem, adiantum, aſplenum &c. multas depactis in terram ramis iubet ſoboleſcere: inſitionem furtiuum veluti coniugium non moror, quâ naturę ad generationem patet auiditas, quâ vegetantia alienis amplexibus cohętere iubentur, vt varia generationis inde prodeant miracula.



N generationis modo mirâ varietate ludit. Animantium imperfectiſſima ἔντομα partim coitu, partim αὐτομάτως gignuntur, καὶ οὐκ ἀπὸ συγγενῶν, verùm ex putredine, aut citra hanc ex propria materiâ: ex raphani rore chryſalis, in ligno coſſi, ex eodem tabani, ficarios culices caprificus generat, cantharidæ (nullis abiectis partibus deuorandę) ex erucis fici, pyri, pini oriuntur. In ipſis animantium corporibus ἕλμινθες στρογγύλαι, πλατεῖαι, καὶ ἀσκαρίδες, in ventriculo potiſſimùm & inteſtinis, quid & in alijs corporis partibus? Varius quoque eſt perfectiorum animalium ortus vbique fœcundus, pro caloris & humoris exuperantiâ multiplex: alijs partus crebrior, alijs numeroſior. Ouum pariunt, ſed ἀτελὲς μαλακόστρακα, μαλάκια, & quę frigidæ ſunt naturę, quod ideò foris auctum, ἐὰν μὴ ἐπιρράνῃ ὁ ἄρρην τὸν θορὸν infœcundum eſt, vt & ὑπηνέμια, οὔρια, χιστὰ ab auibus prodeuntia, quæ ouûm caloteira ſe perficiūnt, ſiccitate verò pariunt. Τὰ σελάχη & ouum & animal, quia humida. Viuipara animal edunt, quia ſanguinea, proindéque calida humida, imperfectum quidem τὰ πολυσχιδῆ, ὅτι πολυτόκα, quò fit vt fœtum adhuc recentem alere poſſint, auctum iam adeptumque magnitudinem nequeant, ſed cùm corpus ad nutriendum non ſufficiat, partum emittunt. Μώνυχα & δίχηλα τελεσφορεῖ, vt & cętera calore & humore abundantia, qualis eſt mulier, ὅτι μονοτόκα ἢ διτόκα, quæ binos enutrire facilè poſſunt ad abſolutam vſque partium omnium conformationem: ideò duabus tantùm mulier à naturâ ſororiantibus donata eſt mammis, quòd rarò tres in lucem proferat vitales, diuerſi ſexus duos rariùs: quod alijs animantibus eſt familiare.



VLIERVM ἀπήρων τεκνογονία, vt & aliarum animantium quę ſexuum diuerſitate gaudent, non tantùm à ſeipſis pendet, ſed etiam à maribus: vtriuſque ſemen fœcundum eſt: nec ideò mola abſque virili ſemine prodit, neque κύημα abſque fœmineo, quod niſi eodem tempore miſceatur irritus fit coitus. Prolifici amantium complexus, ſteriles, ſi contrarijs animis res habeatur. Apage dum congreſſum publicum virilitatis examen vt incertum nimis ſic honeſtū minus. Quid ſperandum ſi agricolam vberrimus ager negligentem, ieiunus aſſiduum inuenerit? quid ſi intemperata mulier virum nacta ſit intemperatum, aut contrà? ad εὐγονίαν vtriuſque temperies requiritur: ſi tamen ſemina modicè calida pugnent frigidis, humentia ſiccis, *craſſáque conueniant liquidis, & liquida craſsis*, de conceptu non deſperandum: exceſſus congeneris effœta ſunt plerumque ſemina. Certior de conceptu ſpes eſt vernâ tempeſtate Gratijs geſtientibus, licet rebus venereis vir hieme, æſtate mulier libentiùs vtatur. Aurora Veneri amica. Ieiuno vētre deſideratus hoſpes auidiùs excipitur, exceptus alterius familiaris conuenę permiſcetur amplexibus, quàm diſtento cibis abdomine. Ebrioſi non facilè coeunt, ſemenque ἄτοκον emittunt. Minore noxâ in venerem ruunt quibus cœna prandio parcior. Fluentibus menſtruis futuri conceptus ſpes deplorata, incipientibus tuta, deſinentibus tutior. Quibus vteri depreſſa ceruix conniuet, aliò diſtracta eſt, multoue adipe, vel obice epiploo intercluſa, callo, phlegmone, innatâ carne intercepta, aut meatu ſymphyſi coaleſcente, prętentâ vt in ἀτρήτοις membranâ, ſemen admittere nequeunt. Quę locorum δυσκρασίᾳ laborant, aut aliquo præter naturam affectu, admiſſum aurâ vitali deſtituunt. Quibus inualido vel præpedito ianitore patent fores, viæque multo humore ſunt lubricę, nulla eſt retinendi expectatio, ſed ἐκρύσιν ſępenumerò patiuntur: fruſtrà tamen iſthæc omnia vitaueris, ſi alterum deficiat generationis principium. Plurimis etſi nullo genitalibus partibus inſidente vitio concipere non datur, frigidis ſiccis, quouis modo emaciatis, exanguibus, ſaltatricibus, hirſutis, φιλολάγνοις, viraginibus, puellis, & ſenibus. Iuniores matres iniquiore fato concipiunt, ſed mox conceptum calamitoſâ ἀποφθορᾷ perdunt.



N ipſo viuifici nectaris rore ſanguine reſiduo poſita eſt fœcunditas: ex eo ſeminis opificis copia, atque ei ſubſtrata partium omnium materię vbertas, augendiſque partibus pabulum accommodatiſſimum. Sanguineę mulieres fœcundiſſimę ſunt, calidę & humidę animantes γονιμώταται, vt inter aues gallinæ, perdices, cæteræque graues ἀπτῆνες, quæ plus materiæ ſuggerunt quàm πτητικοὶ & γαμψώνυχοι. Gallinæ ἀγεννεῖς τῶν γενναίων πολυτοκώτεραι. Tinnunculus in vncunguium genere fœcundiſſimus eſt, qui ſolus ferè aduncarum bibit. Mulier vt plurimùm viro minor, ſolum menſtruale animal, humore caloréque corporis πολυτόκος eſt, ſed ſuæ magnitudinis ratione ὀλιγοτόκος. Eius concipiendi tempus vt & φιλανθρωπευομένων non eſt definitum, neque pariendi, quod cæteris animantibus ſtatutum eſt. Menſtrui recrementi copia, quæ muliere etiam in vtero habente aliquandò prodit, in cauſâ eſt, cur mulier grauida coitum patiatur à quo maiorem percipit voluptatem, cur molæ, περιφύσεις, & monſtra ſuccreſcant, cur aliquandò ſuperfœtet, gemellóſque in lucem perfectos edat, binos enutriat. Magnę tamen mulieres tantis oneribus ferendis ſunt impares, quibus ſanguinis reliquiæ in corporis alimentum atque incrementum abſumuntur: ita quæ inter animalia maxima μονοτόκα ſunt, elephas, camelus, equus &c. ſolipedes, eadem in coitu magis diſſoluuntur. Genitale magnum ad procreationem minùs eſt idoneum. Quæ adiectam corpori in dies molem Siſypho miſeriores ægtè circumferunt, vterum rarò gerunt, quòd omnem corporis moles obliguriat humiditatem.



ARVÆ mulieres humoris inexhauſti copioſis reliquijs diffluunt, quod enim in corporis molem & incrementum faceſceret, idipſum natura demens de magnitudine auget in excremento ſeminali exuperantiam; quò fit vt εὐτεκνώταται ſint, minorique noxâ venerem exerceant, vterumque geſtent. Sic claudæ, aut aliquâ corporis parte mutilæ, plus ſeminis ſanguineique excrementi colligunt. Crurum tenuitate, & imbecillitate laborantes ſalaciores & fœcundiores. Nonne plantæ minores ſunt fertiliores? Aues paruæ ſalaces præfœcundæque ſunt? Mira eſt Adrianarum gallinarum propter exiguitatem εὐτεκνία, quæ ſexagena aliquandò pariunt oua. Μελαγκόρυφος ſupra viginti parit, tantò εὐτοκία maior paruis. Nec ſolùm in volatilium genere, ſed etiam in nantium & pedeſtriū, magna parùm fœcunda ſunt, parua verò πολύτεκνα. Sola inter multipara ſus perfectos profert, & τεκνοσοφίᾳ gaudet. Magnitudo & paruitas corporis, cauſam habent ὀλιγογονίας καὶ πολυγονίας. Εὔχροοι quia πολύσαρκοι euadunt, ἀνδρικαί τε καὶ οὐ μηνσιτόκοι, candidis in ſeipſas profuſioribus γονείᾳ cedunt; liuidæ fuſcis; tenuibus craſſæ: quæ venas habent conſpicuas prętantiores ſunt, quàm quibus non apparent: quæ mammas habent tumidas, paruas, quàm quibus magnæ ſunt & flaccidæ. His coniuncta totius corporis breuitas omne feret punctum, ſi non deſit τῶν πλατυισχίων ab abortu ſecura conſtitutio. In vtero ipſo optanda quoque paruitas, quæ ipſius contractionem ad conceptum perquàm neceſſariam iuuat, ſcilicet potiora ducit ſemen anguſtijs vrgeri, quàm inani petitum hoſpitiô diuagari: ſatis vterus ſpongioſus accreſcente fœtu creſcit, vniuerſumque abdomen diſtendit, quod eâ de cauſâ non oſſibus, ſed membranoſis tantùm & carnoſis partibus eſt circundatum. In paruo vtero vires collectę & valentiores, vt in paruo corde magis elucent: nunquid μικροκέφαλοι phantaſmatum multitudine fœcundi? oculi parui magnis præferendi? ita breuis ſtaturę mulieres ἀρρενογόνοι proceris ipſius τεκνοποιΐας ratione erunt anteponendæ.

*Ergo paruæ mulieres magnis fœcundiores.* 207




Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS BLONDEL Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. XXXI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Simon le Letier.
M. Sebaſtianus Rainſſant.
M. Petrus Guenault.

M. Nicolaus Braier.
M. Cyprianus Hubault.
M. Guido Patin.

M. Renatus Chartier.
M. Andreas du Chemin.
M. Georgius Arbault.

M. & P. R.